

# The Liber Pharetrae Project

## Liber 3: De periculosis Caput 48: De morte (5)

Augustinus, *de Verbis Domini*:

Agnoscat se homo mortalem, ut frangat  
elationem:

caetera nostra, et bona, et mala, incerta  
sunt; sola mors certa est.

Non inde eat ad superbiam,  
unde accepit poenam:  
agnoscat se mortalem, et frangat  
elationem.

Audiat sibi dici, *Quid superbit terra et cinis?* Etiam si superbit diabolus, non est terra, non est cinis. Ideo dictum est: *Vos autem ut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis.* Non adtenditis, nisi quia mortales estis et sicut diabolus superbi estis. Utatur ergo homo poena sua, fratres; bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo. Quis nescit quia poena est, necesse esse ut moriamur, et, quod est grauius, quando nescimus? Poena certa est, hora incerta; et de ista poena sola certi sumus in rebus humanis. Cetera nostra, et bona et mala, incerta sunt: sola mors certa est.

Augustinus Hipponensis, *Sermo de nouissimo die* (97), 2-3 (P. Verbraken ed., *Revue Bénédictine* 78, p.217, ll.30-39).